





I. 425.

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
IVRIDICA,

*DE*  
**ECCLESIA MATRE,**

*QVAM  
SVB PRAESIDIO  
ALTISSIMI,  
EX DECRETO  
MAGNIFICI*

**ICTORVM ORDINIS,**

*IN  
INCLVTIS ATHENIS NORICIS,  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE  
HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE LEGITIMEQVE PROMERITVRVS  
SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT,*

*DIE XXX. OCTOBR. A. C. MDCCXIII.*

**IOHANNES CHRISTOPHORVS  
BAVMGAERTNER,**

*BRIXENSTADIO-FRANCVS,  
ILLVSTRISSIMI AC CELSISSIMI COMITIS  
CASTELLO-RVDENHVSANI CONSILIARIVS.*

---

*ALTORFI NORIC. LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.*



**ILLVSTRISSIMO ET CEL-  
SISSIMO  
SACRI ROMANI IMPERII  
COMITI AC DOMINO,  
DOMINO  
IOHANNI FRIDE-  
RICO,  
COMITI ET DOMINO  
DE CASTELL,  
FEVDORVM INDEQVE DEPEN-  
DENTIVM REGALIVM COMMVNIVM S. R. I.  
COMITATVS CASTELLANI ADMINI-  
STRATORI OPTIMO,  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO;**  
T A T V

ILLVSTRISSIMO ET GEL-  
SISSIMO  
SACRI ROMANI IMPERII  
COMITI AC DOMINO,  
DOMINO  
CAROLO FRIDERICO  
GOTTLIEB,  
COMITI ET DOMINO  
DE CASTELL,  
LEGIONIS BRANDENBURGICO-  
ONOLDINAE PRAEFECTO,  
POTENTISSIMI QVE POLONIA-  
RVM REGIS GENERALI CASTRORVM  
MAIORITAS  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO;  
VT ET

**IL LVSTRISSIMO ET CEL-  
SISSIMO**

**SACRI ROMANI IMPERII**

**COMITI AC DOMINO,**

**DOMINO**

**VVO LGANGO**

**GEORGIO,**

**COMITI ET DOMINO**

**DE CASTELL,**

**ILLVSTRISSIMAE, PIISSIMAE**

**OPTIMAEQVE PARENTIS**

**OPTIMO FILIO,**

**DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,**

DISSE<sup>T</sup>ATIONEM HANC IN AVGVR ALEM

PERPETVVM HVMILLIMI CVLTVS, NEC NON GRATI,  
AC DEVOTI ANMI TESSERAM ATQUE MONUMENTVM,  
CVM SVBIECTISSIMA SVI COMMENDATIONE,  
EA, QVA PAR EST, VENERATIONE

OFFERT ATQVE DEDICAT

ILLVSTRISS. EXCELLEN-  
TIARVM SVARVM

COMITI ET DOMINO  
GEORGIO

DE CASTELLIS

ILLVSTRISSIME PRINCIPIAE

OPTIMEQVE PARENTIS

DEVOTISSIMVS CVLTOR  
ET HVMILLIMVS CLIENS

JOHANNES CHRISTOPHORVS BAVMGAERTNER.

## I. N. I.

## PRAEFATIO.

**V**Ano Deorum cultui deditam Antiquitatem Pietati sacellum dedicasse Romae in loco, quo mulier habitaverat, quem cultu, non in Deos, sed in patrem, vel, ut alii volunt, in matrem, ubera captiva subministrando, fuit insignis, ex Historia constat. Hinc etiam omnibus pietatis rationem constare, eandemque inter matrem & filium, secundum naturam salvam esse debere, Leges Romanae pricipiunt. vid. L. i. pr. & §. i. ff. de obseq. par. & patr. præst. Hanc vero pietatem & reverentiam non tantum parenti naturali, verum etiam Ecclesie, tanquam spirituali, ut praestemus, multa rationes suadere videntur. Huic enim aque ac illi dulcissimum pia & beneficia Matris nomen sacratissimi tribuerunt Imperatores, quando nimirum in L. 14. C. de SS. Eccles. & quidem in fin. pr. illam religionis & fidei, & in L. 16. sub fin. C. eod. pietatis & Christianorum orthodoxæ religionis omnium matrem vocant. Nec Ius Pontificium hac in parte contrariam fovet sententiam, dum can. 19. caus. 24. qu. i. assertur, illum non posse habere Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Optimo autem

A 2

jure

jure Ecclesiam suavisimo matris nomine gaudere  
 quilibet benefacta abs illa sibi exhibita grato animo  
 considerans & perpendens mecum fatebitur. Hac  
 enim parentis optime instar, nos simul atque nati  
 sumus, in gremium suum recipit, sordibusq; peccati  
 squalidos sancto baptismatis fonte abluit: Hac lacte  
 dulcissimo verbi divini nos recreat: Hac nos docet,  
 quanam ratione Sanctissimum Numen pia &  
 castamente sit colendum atq; adorandum: Hac nobis  
 media ad salutem sempiternam ducentia suppeditat,  
 epulisq; sacratissimis animas nostras satiat:  
 Hac deniq; nunquam gremium redeundi claudit,  
 c. 4. de Haeret. in 6. q. 4. De Ecclesia igitur Matre,  
 cætum fidelium in se continente, lineas quasdam  
 ducere, levig penicillo illam adumbrare, ex Indultu  
 Magnifici & Ctorum Ordinis mibi est permisum  
 atq; liberaliter concessum. Prius vero quam iter  
 propositum ingrediar, Te D. T. O. M. summum  
 Ecclesiarum Presidem & Episcopum precibus sup-  
 plicibus adeo, velis & hunc conatum meum, &  
 omne id, quod in posterum Sanctissimo Tuo auxilio  
 fretus suscepturnus sum, exceptato coronare fine, atq;  
 in primis omnes officii mei actiones eò dirigere, ut  
 in sacro-sancti Nominis Tui Gloriam, proximi  
 utilitatem, meamq; temporalem & sempiternam  
 vergant salutem. In

In nomine Summ i Patris, Filii, ac Spiritus Sancti, quorum unam Deitatem sub pari Majestate & sub pia Trinitate credimus & veneramur.  
*L. I. in fin. pr. C. de Summ. Trinit.*

C A P. I.

*versatur circa Rubricam, ejusque Etymologiam,  
Synonymiam & Homonymiam sicut.*

§. I.



E saluberrimum Jcti Caji monitum ,  
quod in *L. I. ff. de O. f.* extat , negli-  
gam , illotisque manibus materiam  
dissertationis meæ aggredi videar ,  
juxta ordinem consuetum incedere ,  
inque titulum thematis mei inquirere  
constitui , egregium Vlpianum ducem  
sequens , qui in *L. I. pr. ff. d. f. & f.* pari modo a nomine  
Juris orditur . Primo autem loco vocabulum Ecclesiæ  
ratione originis considerandum venit , quod natalium  
suum splendorem Græcis debet , & abs Latinis civi-  
tate donatum fuit . Derivatur illud ἐκκλησία , evoco ,  
& quidem abs hujus verbi persona secunda præteriti pas-  
sivi ἐκκλησιας , quoniam nimis Ecclesia est quasi evo-  
cativus quidam coetus , unde ἐκκλησιάζειν , convocari . Joh.

A 3

Ger-

Gerhard. Tom. 5. Loc. Theol. c. 1. de Eccles. p. 218. Selden. de Synedr. l. 1. c. 9. p. 275. Germanis dicitur Kirch/ & hoc modo vel a voce Græca κιρκη, concionor, vel, si per η scribatur, α νερον, Dominicum, originem dicit. B. Dn. Linck in dissert. de Encœn. templ. p. 1. §. 6. ut vel hac de causa, tridente Eusebio, Christianorum templo olim vocata fuerint **Dominica**, quoniam illa ad Dominum omnium Dominorum pertinent, Inque ipsius gloriam & laudes, quas Domino Deo exhibere omnes debemus, L. 1. C. de Offic. Prefect. Afric., congregations fidelium ibidem instituuntur.

## §. II.

Sicut vero Ecclesia, ita etiam Mater natales suos Græciæ acceptos fert, a Μήτη descens, cumque multis aliis abs Latio fuit adoptata. Dores juxta genium Linguæ suæ Μήτη efferunt, & a μήτω, vehementer cupio abs magno scilicet in sobolem studio & amore, σογῆν vocant, deducere amant. Et forsan cana Antiquitas Deas suas propterea Matres appellavit, prout hoc de Aurora, quam Matrem Matutam, & de Telture, quam Matrem Magnam, omnia animalia sinu suo foventem & nutrientem vocabat, testatur Rosin. in *Ant. Rom. L. 2. c. 4. p. 97.* Ecclesiæ vero Matris nomen tributum fuit, vel, quia sicut mater pro redēctione filiorum sua vendit bona: Ita quoque Ecclesia pro captivis sibi subjectis dotem suam alienat. Cardin. Tusch. Tom. 3. concl. 2. n. 2. vel, quoniam Matris naturalis instar abs filiali Ecclesia jure meritoque debitum exigere potest honorem & reverentiam. Beat. Dn. Linck d. Diff. n. 16.

## §. III.

## §. III.

Si jam plura vocabula, idem, quod Ecclesia, significantia conquerire volumus, sese offert 1.) ædes sacra, ad discriminem ædis profanæ, monente ita Fabro in suo *Theſſ ad hanc voc.* quamvis non inficias eat, frequentius in singulari pro sacro usurpari ædificio; 2.) Templum, quod apud Ethnicos propter vota suscepta, rebus ex animi sententia peractis, condebatur, conditum Numini dedicabatur abs eo, qui id vovisset, tandem abs auguribus inauguraratur. Rosin. in *Antiquit. Rom.* L. 2. c. 2. p. 83. Veteres autem Christiani abhorruerunt hanc vocem, tanquam Gentilem & superstitione plenam, & Temporum cultum pro cultu Gentilitio usurpatum fuisse, ex L. 2. C. de *Apost.* liquet; 3.) Dominica, unde procul dubio eis Dohm venit, quamvis Molan. *Tract. de Canonic.* L. 3. c. 3. mavult deducere à Bis. Dohm/ per syllabæ abjectionem accelerandæ pronunciationis ergo, quasi plene dicas, Bis. Dohm Kirche. Struv. in *Diss. de dedicat. templor.* c. 1. n. 30. 4.) Basilica, cap. Nunc autem ad Basil: X. de Rel. Dom. cum Rex omnium Regum βασιλεὺς τῶν βασιλέων ibidem omni venerationis cultu celebretur, ejusdemque palatium sit. can. non oportet 4. *Diss.* 42. 5.) μεγάλου, nimirum primis Christianis sub Tyrannis & Imperatoribus Ethnicis viventibus nulla templa erant, verum speluncas & antra sacris suis deputarant, quod fatum etiam Husitæ quondam experti fuerunt, HILDEBRAND. de *sacr. publ.* primit. Eccl. c. 2. Tempore Constantini M. deinde caput suum extulerunt, & iis in locis, ubi Martyres fidem Christianam sanguine suo obsignaverant, plerumque convenierunt, atque ibi postea in memoriam Martyrum sepul-

sepulchorum tempora exstruxerunt, quæ Martyria vocabantur. Insignis hac de re locus est ap. August. L. 22. de civit. Dei c. 18. Et quemadmodum Imperator Constantinus *m̄ȳa Maḡiōn* Servatoris nostri sepulchro superstruxit, Sozomen. L. 2. c. 26. & Struv. d. c. 1. §. 31. Ita etiam posteri ejus & successores tumulos Christi militum splendidis templorum tectis condecorarunt. *conf. Not. Baron. ad Martyrol. d. 6. Julii.* Documenti loco inter innumera alia esse potest splendidissimum illud Franciæ orientalis templum, Novum scilicet Herbipolense Monasterium, quod sancti Francorum orientalium Apostoli Kiliani sanguis purpuravit, (ut verbis Patris Ignatiani Nicol. Serarii in *Ges̄t. S. Kiliani sub fin. praf. & in vit. ej. p. 9.* utar) mors immortalitati consecravit. 6.) Monasterium, unde Germanorum Münster / Lehmann, in *Chron. Spir.* L. 2. c. 33. quorum multa gloriosissimus Imperator Carolus M. in Saxonia condidit, teste Cranzio L. 6. c. 11. & L. 9. c. 33. Reliqua Ecclesiæ synonyma qui legere desiderat, adeat *dit̄. diff. Struv. & Calvöri Rit. Eccles. part. 2. seit. 1. c. 1. §. 25.*

## §. IV.

Redeamus jam ad vocem Matrem, quæ Germ. dicitur die Mutterkirch / Ecclesia Matrix, *cap. ad audienciam X. de Ecol. adif. Major & Baptismalis. Calvin. & Schard. in Lex. Jur. sub voce: Ecclesia Matrix. Barb. vot. decis. & Cons. Can. Tom. 2. L. 3. vot. 117.* Item principalis, Merl. dec. S. R. R. dec. 798. n. 18. Capitalis, Card. du Fresne in *Gloss. sub voc. Matrix.*, ubi quoque allegat Authorem, qui mentionem facit Ecclesiæ nutricis, putat tamen hanc lectionem esse erroneam & substituendam esse vocem Matricis, Cathedralis, ratione scil. habita ad Ecclesiam vel Parochia-

rochiale vel collegiatam sibi subjectam. Tunc enim templum Cathedrale genuina significatione dicitur Matrix. c. venerabilis 22. d. V. S. & Brunnen. Jurisp. Eccl. L. 2. c. 2. §. 2. Curata, Plebana & Metropolitana, Favin. Decis. Rot. 272. Rationes harum denominationum videri possunt apud modo alleg. authores aliosque Juri Canonicis Scriptores & Illustratores, qui maxima ex parte in eo consentiunt, Ecclesiam matrem inde ita appellari, quod Matris carialis instar filiam sibi gignat. Car. du Fresne. d. l. Baptismalem propter infantes in illa baptizandos, Curatam vel propter accolas baptismata, copulationes matrimoniales & funera ibi celebrantes. Mulz. in Tr. de Repraef. Imp. Maj. L. 2. c. 33. membr. 3. n. 23. vel quia parochus tanquam animarum curator, der Seelen-Sorger/ penes Matrem habitat.

## S. V.

Quod jam Ecclesiæ vocem ratione significationis concermit, illa est vel interna, quae societas dicitur inter Deum ac hominem spiritualis, estque princeps, primaria ac fundamentalis Ecclesiæ species: vel externa, quæ nihil aliud involvit, quam externam inter homines communionem, quoad formulam confessionis & regiminis, continetque quandam imperfectionem & graduum & partium. Schilter, in Tr. de libert. Germ. Eccles. L. I. c. 1. §. 6. & 7. Deinde significat coetum ac conventum hominum per praedicationem verbi, administrationem sacramentorum ex mundo ad Regnum Dei vocatorum, & agnoscentium & colentium Deum creatorem cœli & terræ, unum in essentia, trinum in personis, quibus etiam promissa est salus æterna propter Christum, quem

B

fide

fide apprehenderunt & secuti sunt. Brunn. *Jurispr. Eccles.* L. 1. c. 1. §. 1. Brevius : Ecclesia hoc sensu significat populum Christi. Carpzov. *Jurispr. Eccl. L. 2. Tit. 22. def. 334. n. 1. can. Ecclesia de cons. dist. 1.* Impropius vero & *nataxenius* pro loco conventus sive ædificio sacro accipitur per tot. t. X. de Eccl. adif. Rubr. tit. l. d. S. S. Eccl. ubi Alciatus n. 1. inquit : Ecclesia est domus divina ad sacramenta administranda , preces faciendas & Divina officia celebranda, Deo dicata. Et hoc sensu Ecclesiam hic accipimus. L. 46. c. de Episc. & Cler. & Carpz. d. l. conf. Slevogt. in Tr. de union. Eccl. c. 1. n. 2. & Brunnenm. c. 1. n. 2.

## §. VI.

Quoad Homonymiam Ecclesia mater varias admittit æquivocationes. Primo enim Ecclesia Romana, non Lateralensis illa , pro tota Ecclesia Catholica accepta se Matrem omnium jaet. Deinde Ecclesia quævis cathedralis Matris nomine venit , ita tamen , ut hic titulus cathedrali Ecclesiæ primario, reliquis vero inferioribus secundario competere videatur. Et hæc posterior acceptio nostro conductit fini. Carpz. *Jurispr. constit. L. 2. Tit. 22. def. 43. n. 1. 1. & L. 1. Tit. 12. def. 186. n. 1.* Besold. in Thes. pract. sub hac. voce n. 75. ubi ita : die Hauptkirche / da der Pfarrer wohnet wird genannt *Mater* oder *Matrix*, da aber kein Pfarrer wohnet oder welche Kirche eingepfarrt ist / die heißt *Filia* , daß sie sich nach der Pfarrkirchen richten solle / wie die Tochter nach der Mutter.

CAP.

35 (ii) 5

## CAP. II.

Sistit Definitionem Ecclesia Matris, ejusdemque  
Divisionem.

### §. I.

**E**ccliae Matris definitionem ita tradimus, quod sit Ecclesia quædam particularis, quæ tanquam dignior & principalis unam vel plures limitatas parochias aliasque dependentes ædicularas vel capellas filiarum nomine venientes sibi subjectas habet, quarum etiam Mater dicitur. c. ad Audient. 3. X. de Eccl. adif. c. 1. ne Clerici vel Monachi in sext. Speidel. sub voce Kirch/ ubi addit, dici parochialem cum dignitate talem. Carpz. d. L. 1. tit. 12. def. 180. Relatum, siue oppositum ejus si mavis nominare, est filia, quam Ecclesiam minus principalem, alteri nempe Matrici ita subjectam describunt, ut ab hac dependeat, eidemque honorem & obsequium præstare teneatur. Azor. Inst. mor. part. 2. L. 9. c. 3. in fin. conf. diss. Inaug. Dn. Riehens de Eccles. filiabus c. 2. §. 1.

### §. II.

Prius vero quam definitiones nostras intimius consideremus, videbimus, utrum Ecclesiæ siue templo tanquam rei inanimatae nomina animantibus proprio competentia tribui possint? Id quod in sensu improposito affirmandum & concedendum esse videtur, cum etiam ius civile ita loqui amet, & in L. 4. §. 5. de offic. proconf. Matrem siue Matricem urbem illam nominet, quæ in L. 7. princ. eod. caput provinciæ & Metropolis audit. Dio-

nyfius Gothofredus, ad cit. L. 4. notat, dari etiam matrīces aquarū L. 3. c. de aquad. matrīces libellos, unde matricula & matricularii L. 3. de agent. in reb. Sallustius Origines dicit eas urbes, quae aliis originem dederunt. Ita in sylvis Noricis dantur prædia Zeidlariorum, quæ Zeidel-Mütter vocant, & sub judicio Zeidlariorum quidem continentur, sed alios fundos ad canonem, censum, laudemium &c. obstrictos sibi tenent, qui fundi Zeidel-Söchter vocantur. vid. dissert. Inaug. Dn. Scheulrs à Despersdorff de Jure Mellicid. c. 3. §. 6.

### S. III

In definitione Ecclesiæ Matris supra abs me exhibita generis locum occuparunt verba: Ecclesia quædam particularis; cum universalem nullam hoc sensu agnoscamus, nisi cum Theologis coetum universorum hominum, quotquot sub sole Deum rite colunt, inque una eademque fidei, gratiae, salutis, communione interna persistunt, Ecclesiam universalem nominare velis. Brunnem. l. c. §. 3. Dignior & principalis audit, quoniam filia ut accessoriū considerata sequitur suum principale o. accessoriū 42. d. R. I. in d. Slevogt. L. c. 3. §. 3. Carpz. Jurispr. Eccl. L. 2. Tit. 22. def. 343. n. 1. unam vero aut plures limitatas parochias Ecclesia Mater sub se habere potest, nec non parvas ædicularas & capellas, prout teste modo Laudato Authore in Tract. de Union. Ecclesiarum ejus generis apud Protestantes plura numero reperiuntur exempla. De capellis consuli potest Calvini Lexicon juridicum ad h. v. & Stryck in Not. ad Brunnem. Ius Ecclesiast. L. 2. c. 2. ad verb. capella & c. 1. de capelli. Nam Tandem in fine definitionis nostræ subjectionis ex parte filiarum

Harum mentio fit , quæ tamen subjectio non in gradu perfecto accipienda est vid. Grot. d. J. B. & P. L. 2. c. 5.  
 §. 31. vi cuius Ecclesia filia matris arbitrio in omnibus esse deberet obnoxia , verum in quodam minus perfecto , beneficio cuius hæc superioritate aliqua ratione ministerii sacrí pæque animarum curæ , qua illa regitur , gaudet . Pulchre hoc quadrant verba Ziegleri in Not. ad Inst. Jur. Can. L. I. tit. 5. 5. sub §. 5. Inter particulares Ecclesiæ est relatio & unio non uad ὑπεροχὴ , ut inter matrem & filiam , Dominam & subjectam , caput & membra ; sed uad iōνια , ut inter pares collaterales , haud secus ac inter membræ τύσσαμα aut forores in una familia , licet igitur foror alteræ alteram etatem aut virtute posset anteire , non tamen dominationem in illam , quatenus foror est , habet . Sic colonæ quamvis sui juris debebant τυμᾶν τὴν μητρόπολιν , eidemque exhibere signa quædam reverentiae & honoris . Grot. d. L. I. c. 3. §. 31. n. 1. de J. B. & P.

## S. IV.

Ecclesia Mater talis fit vel per divisionem , vel per unionem . Illud contingit , quando Ecclesia quædam parochialis propter distantias locorum a paroecianis non sine magna difficultate propter tempus hyemale & pluviarum inundationem frequentari potest , atque adeo , ne cultus divinus penitus abs longe dissitis intermittatur , in duas dividitur , & alia parochialis juribus cunctis Ecclesiæ Matris gaudens ex eadem fundatione ædificatur & adornatur , ea tamen lege atque conditione , ut tamquam accessorium adjungatur suo principali , cui originem debet , honoremque competentem servet , qualem nimicum in suavi quadam conspiratione Minor illa Ecclesia

clesia Majori debet præstare in sacris rite pertractandis  
*s. 3. X. de Eccl. adif. Concil. Trident. c. 4. lss. 21.* Per unionem mater constituitur , si certa quædam Ecclesia ob causas graves alteri cuidam se quasi in adoptionem dat, & cum illa se unit, vel ita, ut pristina sua privilegia sibi retineat, vel ut his amissis tanquam filia immunitates Matris , cui incorporata est , acquirat. *Cap. cum dilectus. X. de his que vi. met. & Gloss. ibid. Petr. Gregor. d. benf. cap. 20. n. 15.* unio vero talis aut in perpetuum aut ad tempus iniri potest , cuius rei exemplum habemus in duabus pagis Niederwehren & Oppach haud procul urbe Imperiali libera Suevofurtho sitis, & in Comitatu Castellano Eichfeldt & Krautheim / quorum Ecclesiae quondam ad tempus unitæ nunc iterum separatæ cernuntur. De pluribus unionis speciebus vid. Slevogt *diss. 3. de union. Eccles. §. 13.*

---

## CAP. III.

### *De causa efficiente & impulsiva agit.*

#### §. I.

**E**piscopi autoritas & ad unionem Ecclesiarum & ad separationem, cum nimirum nova filialis ædicula extruenda est , præcedere & interponi debet. Unio enim est res odiosa , & ibi multarum circumstanziarum trutina adhibenda esse videtur. *cap. sicut unire. X. de Excess. Pralat.* Deinde Episcopus in sua dioecesi jus superioritatis habet , omnisque in ea sita ecclesia eidem omnino subest. *cap. constitutus 6. Extr. de Rel. Dom. & Nov. 67. c. 1.* nec ulli templum ædificare licet sine prævia cognitione

tione Episcopi , ad quem omnis piarum causarum cura spectat, ideoque autoritas ejus & consentius accedere debet. Cardin. Tisch. tom. 3. pract. concl. 22. n. 1. Cognitio vero causæ & inquisitio in præsenti casu consistit in eo , ut exploretur prius , utrum unio Ecclesiis unien- dis conductat , & utrum Ecclesiæ filialis exstructio Ecclesiae Matrici expediat , nec in ejus vel tertii cuius- dam grande præjudicium vergat? utrum redditus suffi- cientes ad ædificandam novam Ecclesiam , & ad stipen- dia sacerdotis & custodis adsint ? can. Nemo Ecclesiam g. de consecr. & Gonzal. Tellez ad cap. 3. X de Eccles. adif. Inpri- mis hic cautio adhibenda , ne ædificatione novi templi vicinis ædibus noceatur , quia Ecclesia cultrix justitiae ex favore religionis alteri damnum inferri non patitur , 1. Feud. 13. & B. Dn. Linck in d. diff. p. 2. §. 4.

### §. 11.

Et hæc quidem apud Romano - Catholicos adeo vera sunt , ut Ecclesia sine consentiu & autoritate Episcopi ex- structa , omisis & neglectis canonum requisitis , liber- tate arque immunitate Ecclesiastica non gaudeat. c. 8. de consecr. diff. 1. In terris autem Protestantium vi §. 9. Pacif. Rel. & Instr. Pac. Westph. art. 5. §. 16. & 48. Pontificis po- testas suspensa est , adeoque consensus illius hic requiren- dus , qui superioritate territoriali , & beneficio hujus Jure Papali & Episcopali gaudet. conf. hic 4. Rescripta Eleitoralia Saxonica abs Carpzovio in Fuispr. Consist. l. 2. t. 22. def. 334. adducta. Non tantum vero Eletores & Principes Ev- angelici , verum etiam Comites & reliqui Status imme- diati , comprehensa Libera Imperii Nobilitate , hoc jure circa sacra pollent. d. Instr. Pac. Quadrant hic verba Re- scripti

scripti Serenissimi Electoris Saxoniae , ita se habentia : Welches alles Unserer Lands-Fürstl. Hoheit und habenden *Juribus Episcopaliis* zu seider lauft. Oldenburg. in Notit. Imp. Rom. Germ. part. 2. disc. 16. p. 1008. ita inquit : Die Ecclesiastica potestas ist ein schöner Carbuncel/ welche dem Fürstlichen Cästor herlichen Glanz giebet. vid. Dn. Coccej. in *Jur. publ. prud. c. 22. §. 15.* Status Protestantes hoc ius Episcopale plerumque per Senatum sanctiorem, Consistorium vocant, exercent. Quando vero Ecclesia nova exstruitur, ipsi ad autoritatem Episcopalem & consensum declarandum, primum lapidem angularem ponunt, cui inscriptio quædam subjicitur. Exemplum Electoris Palatini, CAROLI LVDOVICI, refert B. Dn. Linck l.c. id quod ipsum etiam Illustrissimus Comes ac Dominus, DN. IOHANNES FRIDERICVS, Comes Castellanus, Dominusque meus clementissimus , tanquam summus Comitatus sui Ecclesiarum Episcopus, fecit, & An. 1708. d. 9. Maii lapidem primum Templi Rudenusani laudabili pioque zelo jecit.

## §. III.

Præter Episcopi consensum & autoritatem interponendam ad unionem vel separationem instituendam etiam Decanus capituli, ut hoc convocet, citandus est, & quoniam priori casu Ecclesia plus decrementi quam incrementi capit, vel hac de causa consensus ejus magis necessarius esse videtur , quam casu posteriori. Barbos. de *Jur. Eccles. l. 3. c. 16. §. 2. n. 42. c. cum nos. 3. de his, que fiant a Pral.*

## §. IV.

Nec Patronus futuræ Ecclesiæ Matricis hic prætereundus , sed etiam vocandus est , ne scilicet ipsi invito ratio-

ratione filiae uniendae novus Compatronus adjungatur, inque communionem Matrem discordiarum, hoc modo implicetur. Si Matri Patronus dives novae filiae dotem conferre nolit, jure suo excidit, & Ecclesia filialis pecuniam nanciscitur patronum. Lambert. de *Jur. Patron.* l. 3. qu. 7. art. 5. n. 1. 2. 3. Jure tamen prælationis præ omnibus frui Dominum territorialem filialis Ecclesiæ vult Panormit. in c. 2. §. 9. X. de *Jur. Patron.* Dantur autem certi casus, ubi Patroni præsentia non est necessaria, sed jure suo privatus censetur vel ad tempus, vel in totum. Brunnem. *Jur. Eccles.* l. 2. c. 8. §. 28. & dict. diff. de *Eccles. filiab.* c. 5. §. 9. seqq.

## §. V.

Considerandæ nunc sunt cauſæ unionis atque separationis, quæ abs Episcopo bene ponderandæ fuit, atque ideo prudentiæ ejus, arbitrio & cognitioni sunt committendæ. Canones præcipue duas illarum adferunt, urgentem nempe Ecclesiæ filialis uniendæ necessitatem, evidentemque utilitatem. cap. 33. §. si evidens. Extr. de *præb.* cap. Eam 4. Extr. de *atat.* & qualit. pref. cap. *Monaſteriorum* I. Clement. de *Reb. Eccles.* non alien. Utilitas vero in eo consistit, si ob redditum tenuitatem non idonei sacerdotes ad sacra munia obeunda inveniri possunt. cap. Eam Te. Extr. de *at.* & qualit. & ord. Per unionem vero Ecclesia dotatur adeoque digniorem sponsum facile rep̄ire potest, qui curam animarum exactiorem gerat. Lancell. in *Inst. Jur.* Can. c. 2. tit. 19. §. 2. ubi & locorum opportunitatem, & temporis qualitatem, puta, quia in loco eo Christianorum dicatur imminutus numerus inter utilitatis cauſas adfert. can. Et temporis. qu. I. Necessitas vero hoc suadet,

C

det ; cum duæ Ecclesiæ adeo sunt pauperes , ut impossibile sit , earum proventus ad victum duorum sacerdotum sufficere . c. eam te . Extr. de atat . & qualit. in fin. & can. unio . qu. 3. aut si altera hostium immanitate desolata sit , nec sumptus adsit , ut reædificari queat . can. postquam hostil . 16. qu. 1. Card. Tusch. concil . 21. n. 1. Carpz. l. 1. tit. 10. def. 156. Verba Rescripti hæc sunt : Wann aber dergleichen Conjunctiones an Unser Ober-Consistorium gehörig / auch ob darzu genugsame rechtmäßige Ursache vorhanden / erkennet wissen wollen &c. Rationes ad divisionem novamque Ecclesiæ filialem ædificandam inducentes sunt 1.) incommoda viarum , c. ad audienciam 3. X. de Eccles. adif. quæ ob nimiam futuræ Ecclesiæ Matricis distantiam parochianis obveniunt , in primis hyemali tempore , quo gelu , nix , procellæ & imbræ peregrinantes affligunt : æstate vero intensum Solis calorem sentiunt , ut adeo propter senes filiastas , mulieres gravidas & liberos exstructio Ecclesiæ filialis necessaria sit . vid. Concil. Trid. sess. 21. de Reform. c. 4. 2.) Incrementum coetus Christiani can. precepimus . 53. c. 16. qu. 1. Exemplum adfert Slevogt in differt . 3. de div. Eccles. c. 5. p. 123. 3.) Cautela propter leprosos adhibenda ; Ecclesiæ filiæ pro his exstructæ leprosariae vocantur , Germ. Hospital-Kirchen / B. Dn. Linck ad Decret. tit. X. de Eccles. adif. & alleg. diff. de Eccl. filiab. c. 4. §. 3. Præter jam commemoratas justas cauſſas alioe adhuc procul dubio erunt , in quibus solennis illa Prætorum formula adhibenda : Item si qua alia mihi justa cauſſa esse videbitur , inter quas diversitatem linguarum & rituum , hæreſeosque imminentis metum refert Slevogt . c. 4.

CAP.

## CAP. IV.

*Describit ritus & modos circa constitutionem  
Ecclesia Matricis occurrentes.*

### §. I.

**G**entiles templa & omnia , quæ Deorum cultui destinata erant, solenni verborum formula dedicasse & consecrassæ , ex tribus inscriptionibus , quas nobis exhibit Rosin. in *Antiq. Rom.* L. 2. c. 1. patet. Nimirum ex solius luminis naturæ instinctu illos non latebat, cultum Numinis esse omnium humanorum negotiorum sacratissimum , nec usibus Divinis aliquid adhibendum esse , quod non prius solenni ceremoniarum ritu abs usu profano ad sacram esset translatum. Nec Christiani ex verbo divino edocti aliquid hac in parte intermiserunt, prout ipse Imperator Justinianus in *Nov.* 67. c. 2. de solennibus in Ecclesiarum ædificatione attendendis agit. *Jung.* *Nov.* 5. c. 1. & *Nov.* 131. c. 7. De jure canonico Episcopus seu Dioecesanus etiam crucem figit in loco , ubi altare extruendum , atrium designat, precibusque præmissis primum lapidem ponit. Paul. de Citadine *Jur. Patron.* p. 3. art. 1. num. 8. can. nemo. 8. de consecr. difß. 1. *Lancell.* in *just. Jur. Can.* Tit. 18. §. 9. *Carpz. Jurispr. Eccles.* L. 2. def. 334. De moderna Romano-Catholicorum consecratione vid. Ioh. de Selv. in *Tract. de benef.* p. 1. qu. 5. n. 64. Bellarm. *Tom.* 2. *Controv.* L. 3. de cult. *Sanct.* c. 5. Quid apud protestantes hac in parte obtineat , docet B. Dn. Stryck. in *Not. ad Brunnem.* f. *Eccles.* L. 2. c. 2.

## §. II.

Festum vero dedicationis templorum diem ejusque repetitionem anniversariam Encoenia dicunt, & lingua nostra vernacula per vocem Kirchweihe efferunt. Weihe enim Germanis est sacrare sive consecrare, & Weihe i. e. sacer, unde Weihe-Nacht / sacra nox, sive natalis Domini, item Weihe-Wasser. Struv de dedic. templ. c. 1. n. 15. & B. Dn. Linck l. c. Pio vero & laudabili instituto hæc Encoenia anniversaria abs primitiva Ecclesia fuerunt celebrata, quæ successu temporis in maximos degenerarunt abusus, adeo ut etiam in plurimis Franciae nostræ orientalis pagis Filiaстæ impropriæ tales, die Eingepfarrten / nullo templo proprio gaudentes, sed in æde sacra matrice cultum Divinum exercentes, Encoenia anniversaria habeant, & quidem non cum Ecclesia matre, quod concedendum foret, verum alio die, Baccho potationibus, Cereri commensationibus, Veneri lascivis saltationibus & effrenibus libidinum generibus sacra celebrant & vota quasi persolvunt.

## §. III.

Sed ut in viam redeam, & Ecclesia Matrix & filia, eo quo dictum est modo, abs Episcopo, vel in Terris Evangelicorum abs Superintendentे, principis sui tanquam summī Episcopi personam sustinente, consecratur, abs quo etiam novus Pastor filiæ est ordinandus, si nempe præbendæ sive redditus Ecclesiastici ratione Divini officii abs Parocho percipiendi sint sufficiētes. Camill. Borell. L. 1. Dec. Tit. 29. n. 4. & Brunnen. in Jur. Eccles. L. 2. c. 4. §. 2. Papa Alexander III. in Rescripto ad Archiepiscopum Eboracensem ad sustentationem Parochi ejus-

ejusmodi obventiones Ecclesiasticas ejus villæ , & vi-  
ginti acras terræ frugiferæ abs Domino ejusdem villæ  
conferendas destinavit . *Ad audiētiam 3. Extr. de Eccles.  
edict.* Quid hic acra terræ sit , non satis est expeditum.  
Vossius in tr. de vitiis Latini sermonis ait , descendere illud  
ex Lingua Germanica , & certam agri mensuram , veluti  
jugerum einen Alster / significare . Alii Acram id appellant ,  
quantum par boum uno die arare possunt . Slevogt  
*diss. 3. de Div. Eccles. §. 13.*

## §. IV.

Perlustrato jam modo & ritu , quibus beneficium  
confertur , restat , ut consideremus , quot modis illud  
vacet . Vacans vero dicitur , cum pastore caret , pari  
modo , uti vidua marito carens in jure vocatur mulier  
vacans . *L. 5. §. 1. ff. ad L. Jul. de v. publ.* Contingit vero hoc  
vel morte naturali , vel civili , vel spontanea parochi re-  
signatione . Prætermisis duobus prioribus modis satis  
notis , de ultimo hic aliquantis per erimus solliciti , & vi-  
debimus , in cuius manus illa resignatio Ministri Ecclesiæ  
fieri debeat . Cum regulariter jus instituendi Ministrum  
Ecclesiæ ad jura Episcopalia pertineat , ex eodem capite  
*arg. L. 35. ff. de R. J.* jus eundem destituendi vel removendi  
cæteris paribus eo spectabit . *c. præterea 4. & c. 5. §. 10. de Jur.  
Patron. Carpz. Jurispr. Consist. l. 1. def. 20. n. 6. 8.* In Marchia  
tamen & aliis quibusdam Evangelicorum Statuum terris  
hoc obtinuerunt Patroni , ut & jus removendi Pastorem  
habeant , teste Stryck . *in not. ad Brunnen. J. Ecc. l. 2. c. 8.*  
*verb. Jurisdictionem.* Ejusmodi Parochus vero Ecclesiæ  
Matricis dimissionem suam per libellum supplicem abs  
Episcopo , vel ubi Patrono hoc jus competit , abs eodem  
impe-

impetrare , cauſasque legitimas allegare debet , nec deinde , alio Pastore in locum ejus suffecto , poenitentiae locus est , adeoque actus parochiales neque in Ecclesia matre , neque in filia , alium licet agnoscente Patronum , sine consensu Episcopi exercere potest . Propter rationes tamen graves & prægnantes ex gratia hoc ipſi abs Episcopo indulgendum eſſe , eſt , quod volunt Facult . Theol . & Juridic . Tubing . in Responſo de Anno 1710 . d . 10 . Jan . in cauſa des von freyen ſtücken (ex intempeſtivo quodam zelo) ſeine Pfarr resignirenden M . und an daffen Stelle von denen des H . R . R . Grafen und Herren zu Castell / und Freyherren von Münſter / als Epitopis und Patronis , conſtituirten und vocirten Pfarrers K . hiſce verbiſ : Wann nun aber Preßdorff ein Filial von Burckhaſlach / wie aus deinen beygebrachten documentis zu erſehen / und er Pfarrer K . auf die ganthe Pfarr vocirt und berufen worden : Als ſucht er auch wegen erſterwehnten Filials nichts anders / als was ihme ratione vocationis zuständig / und muß also / was hierinnen von der Mutter ſtatuitur wordeſ / auch wegen ihrer Filialen / als pertinentien / gesagt werden . In resignatione enim Ecclesiarum ſufficit allegare principale , quo vero omiſſo Et accessorio nominato resignatione eſt nulla . Selv . de Benef . p . 3 . qu . 12 . qual . 14 . Und obſchon das Jus Patronatus ratione Filiae dem Herrn von K . zuständig / ſo kan doch ſolches dahin nicht operiren / daß er ſich wegen der Besetzung dieses Filials ſolte ammaſſen / und ſich daffen prævaliren laſſen könnte . Sollte jedoch Hr . M . mit aller geziemender ſubmiſſion und respect En . Herrſchaft begreuen / ſo welten wir davor halten / daß wegen ſeiner 33 jährigen guten Dienſte im Ministro , und der daher bey ſeiner Gemeinde noch habenden Liebel

Liebe / welche sie durch Einreichung einiger Intercessionalien gezeiget / auch ob rem angustam domi ihme gleichwohlen ad tempus, und bis ausschender / oder sich ereignender anderweitiger accommodation die Versehung des Officii Pastoralis zu Preßdorff und Hember ex gratia indulgit werden mögte.

## C A P . V .

*De Effectibus & Juribus Ecclesia Matris.*

## §. I.

**E**cclisia mater 1.) Jure superioritatis cuiusdam in filiam sibi subjectam gaudet , honoremque & reverentiam omni jure abs eadem exigere valet.  
c. ad Audientiam 3. X. de Eccles. adif. 2.) Non solum omnia sua privilegia , jura & immunitates , nisi aliter conventum sit , sed etiam onera filiae communicat : participans enim de commodo , participare etiam debet de incommodo.  
I. 10. ff. de R. I. cap. qui sentit 55. de R. I. in 6. Inter has immunitates vero non minima est , quod filia æque ac matrix jure asyli praedita sit , daß sich einer des Gottes-Grieden und Kirchen-Freyheit gebrauchen dürffe / ita , ut ob loci reverentiam judex secularis delinquentem in Ecclesia capere , indeque extrahere nequeat absque licentia judicis Ecclesiastici .  
I. 6. & tot. tit. C. de his , qui ad Eccles. conf. can. sicut antiquit. 17. qu. 4. c. fin. de immunit. Eccles. Nec Gentiles hoc immunitatis privilegio templo sua defraudarunt , ita tamen , ut eo confugientes tunc demum tuti essent , si aram fuissent amplexi , id quod patet ex Cornel.

Nep.

Népot. *in vit. Pausan.* Abs aris autem nemo sine piaculo avelli poterat. Ros. *in Antiq. Rom.* l. 1. c. 13. Hinc etiam Rex Salomo fratri Adoniæ cornua altaris amplectenti veniam dedit, vitæque ejus pepercit. L. 3. Reg. c. 1. v. 51. & 53. Non tantum vero templis & aris, sed etiam statuis Principum, L. unic. C. de his, qui ad stat. conf. & §. 2. Inst. de his, qui sui vel al. jur.; Urbibus, Exod. 21. v. 13. & dominibus quibusdam illud jus asyli abs Imperatoribus & Principibus concessum fuit. Ita Limn. *in Addit. ad J. P.* L. 5. c. 7. n. 25. asyli Castellensis & Brixenstadiensis mentionem facit, & singularia quædam de illis narrat. Miseris vero, non facinorosis, asyla prodeesse debere docet Grot. L. 2. de J. B. & P. c. 21., & Gronovius ibi in notis egregio exemplo id illustravit. De abusu hujus juris queritur B. Stryck. l. c. ubi etiam afferit, quod apud Protestantes nemo delinquens in Ecclesiæ tutus sit, sed inde extrahi possit sine Episcopi consensu abs magistratu ordinario cujusque loci jus Patronatus in illam Ecclesiam sive matrem sive filiam exercente. Carpz. *in Pr. crim. part. 3.* qu. 110. n. 96.

### §. II.

Ad Jura Ecclesiæ Matris 3.) spectat, quod parochus Ecclesiæ filialis foro Ecclesiæ Matris in spiritualibus subjectus fit, religiosique Jure habeatur, quod rei religiosæ adhæret L. 34. ff. d. R. Vindic. atque adeo coram Episcopo Matricis forum competens sortiatur. conf. Magnif. DN. HILDEBRAND *in diff. de prevalent. Jur. Canon. præ Civil.* in for. c. 2. §. 8. nec juxta C. ut fama 35. X. de sent. Excom. mun. in flagranti criminе deprehensus abs Magistratu seculari puniri, sed saltem capi & ad judicem competentem deduci debet clericus. Apud Protestantes vero  
conve-

conveniuntur vel coram Consistorio, vel etiam ut Laici  
coram Cancellaria, uxoresque eorum & liberi idem for-  
tiuntur forum

S. III.

Quod si Ecclesia filia proprio destituatur sacerdote,  
decimas 4.) Matrix exigere abs illa potest. *cap. ex trans-  
missa 10. Extr. de prescript. ibique gloss. & DD.* si vero illa  
peculiarem Parochum habeat, huic quidem decimæ sunt  
solvendæ, Matrici tamen census annuus vel aliquid huic  
simile singulis annis in signum subjectionis est præstan-  
dum. Melius autem providere pastoribus decimis fructu-  
um, quam certis agrorum mansis ad culturam vel etiam  
ad locationem iis assignatis. B. Brunnem. *J. eccl. L. 2. c.  
5. §. 6.* putat hac de causa, quia decimæ Jure Divino  
clericis assignatae essent, & hi eo ardentes preces con-  
cipiant ad Deum Benedictum pro benedictione divina  
parœcianis elargienda. In Imperio nostro Romano-  
Germanico lis inter Romano-Catholicos & Evangelicos  
olim agitata ita sopita fuit, ut illæ Decimæ, in quarum  
possessione vel quasi percipiendi Anno 1624. die 1. Ja-  
nuarii vel alio illius anni tempore fuerunt Protestantes,  
iisdem absque ulla exceptione solvantur, nulla ratione  
habita monasteriorum, quibus decimæ erant destinatae,  
destrutorum, quas decimas Domini territoriales sibi  
vendicarent. *vid. Infr. Pac. art. 5. §. 46. & 47.* Eodem §.  
ratione decimarum novalium, de quibus *in cap. quid per  
noval. 21. d. v. s. & c. ult. Extr. de privileg.* agitur, disposi-  
tum est. Cum vero juxta Jus commune omnia loca de-  
ferta ad principes Jure superioritatis territorialis perti-  
neant per t. t. C. de omni. agr. def. ex his si coluntur, decima  
pars fructuum loco vectigalis Domino Territorii penden-  
da

D

da

da est. Clerus vero , ut jam olim ita & adhuc hodie  
novalium decimas contra tenorem d. *Mf. P.* prætendit,  
testante hoc experientia quotidiana. Pl. de decimis vid.  
ap. Carpz. in *Jurispr. Eccles. L. 1. def. 125. usque ad def. 137.*

## §. IV.

Actus 4.) Parochiales & præcipue Baptismus in Ec-  
clesia Matrice peragendi funt , quoniam duæ Ecclesiæ  
baptismales in una parochia non tolerantur. *Can. baptis/m.*  
*cum duob. seq. c. 16. qu. 1.* quæ tamen omnia in terris  
Evangelicorum mire variant. 5.) Ecclesia Mater Ius quæ-  
situm etiam in hoc habet , quod filiastæ conferre debe-  
unt ad sartum teatum conservandum templum , eoque  
pertinentia baptisteria , organa pneumatica , ad reparan-  
das ædes parochiales , nisi ipsi hæc omnia peculiaria habe-  
ant. vid. *Rescript. Confist. Elect. Lips. de Ao. 1628 die 25. April.*  
quod apud Finckelth. de *Jur. Patron.* c. 4. n. 87. extat. In  
quantum vero ad restorationem templi collapsi vel  
fulmine corrupti & combusti contribuere teneantur ,  
nulla lege definitum est , verum consuetudo cuiusque  
loci attendenda est. Carpz. in *Jurispr. Eccles. L. 2. def. 343.*  
*345. seqq.*

## §. V.

Parocho Matricis fato functo , ejusdem Patronus  
obitum hunc filiali , si uno plures , omnibus Patronis  
significare debet. Ita decretum in Confist. Lipsiens Anno  
1630. die 10. Sept. Dass S. deßwegen DD. in Schriften  
gebührlich zu ersuchen / und Ihme anzudeuten schuldig. Lite  
vero exorta inter hos Patronos circa electionem & præ-  
sentationem novi parochi , res vel sorti , vel Episcopi  
arbitrio esset committenda, *Actor. 1. vers. ult. c. ne pro de-  
fectu*

fectu 41. X. de Elect. Per alternationem etiam , qua multæ  
lites sepeliuntur , res expediri posset , quod alias vocare  
solent , per Turnum præsentare . Ziegel. ad Lancel. d. tit.

28. §. 12.

### S. VI.

In Electionem tamen , præsentationem , & vocatio-  
nem novi Parochi populus utriusque Ecclesiæ liberrime  
consentire debet , cum hoc jus Divino jure ipsi compe-  
tit propter conjugium spirituale , quod est inter Ecclesi-  
am & Pastorem . Egregie de hoc differit Danhauerus  
in Theol. conscient. p. 2. Dial. 3. seet. 3. qu. 5. Confessu autem  
semel declarato amplius abs eodem recedere nequit ,  
cum quæ semel placuerunt , amplius displicere non pos-  
sunt c. 21. d. R. I. in 6. & alteri jus quæsitum excludit pre-  
nitendi facultatem . Mev. L. 7. Dec. 360. n. 1. Ita in Re-  
sponso Tubing. ante jam allegato de Anno 1710. Und  
haben auch die von der Mutter-Kirch vorgeforderte Filiali-  
sten und Eingepfarrten auf vorher ergangenes Befragen sich  
dieser des Pfarrers R. vocation halber mit den obigen con-  
formiret , und daß sie sich nicht separiren lassen wollten . &c.

### S. VII.

Non vero aliis , quam eandem cum Ecclesia , cui  
præficiendus est , fidei confessionem fovens parochus  
præsentandus & vocandus est , quamvis Patronus alii  
sectæ addictus sit , juxta Rec. Imp. de anno 1555. §. Rel. c. 10. Plus  
enim Ecclesiæ hic providendum quam Patrono , cum hic  
non sui , sed Ecclesiæ caussa exerceat Jus Patronatus .  
Stryck. in not. ad Brunnem. §. Eccl. L. 2. c. 8. §. 19. In  
Francia hac orientali plurima hujus rei extant exem-

D 2

pla,

pla, ubi saepe Patronus Romano-Catholicus Ecclesiae Evangelicæ præsentat, & vocat Ministrum eadem sacra sequentem.

## §. VIII.

Coronidis loco hic addere juvabit, quod apud Status Protestantes parochi mortui viduæ & liberorum ratio habetur, & non tantum salarium promeritum, sed etiam annus gratiæ illis concedatur, qui gratiæ annus pro diversis locis diversus est. In Saxonia enim redditus ex dividio gratiæ anno, das halbe Gnaden-Fahrt; in aliis vero quibusdam terris ex integro anno percipiunt. Carpz. Jurispr. Eccl. L. I. def. 170. & seqq.

## CAP. VI.

*Unionis revocationem & dissolutionem Ecclesiæ proponit.*

## §. I.

**I**N his terris nihil inconstantia durabilius esse & maximorum imperiorum instar, quæ fatales periodos attingunt, Ecclesiæ etiam vicissitudinibus & fortunæ varietati obnoxias esse, certo certius constat.

## §. II.

Dissolvuntur vero 1.) si vel mater vel filia ad alterius religionis castra transeat, atque ita vinculum fidei & religionis, quo colligatae erant, rumpat. Exempla item plurima in Imperio nostro Germanico, & praecipue

pue in Circulo Franconico deprehenduntur , ubi Mater Protestantium religioni addicta , filia vero Romano-Catholicam amplexa est , & vice versa . Nec vero Patronus ejusmodi Ecclesiam reformare potest , cum juxta Instrum . Pac . Westph . Art . 5 . § . 44 . , neque jus gladii , Patronatus , filialitatis &c . jus reformandi tribuant , sed omnia in statu , quo An . 1624 . fuerunt , debeant permanere . § . 2 . d . Art . 5 . Hinc etiam sequitur , quod , si Jus Patronatus in Ecclesia filia ad successorem heterodoxum sit devolutum , hic non possit prohibere , quo minus Filiastæ in Ecclesia matre cultui divino secundum principia & ritus religionis suæ vacent . In quantum vero Statibus Imperii jus reformandi in terris suis competit , videri potest apud Coccej . in Jurispr . publ . c . 18 . sect . 1 . § . 29 .

## § . III .

Ecclesiæ unitæ in totum abs se invicem possunt separari , & unio dissolvi , suadente hoc præsenissimo necessitatibus periculo , & evidentissima utilitate : Si enim propter has ipsas rationes unio quondam suscepta fuit , propter easdem iterum dissolvi potest . arg . L . 33 . & L . 100 . ff . de R . J . & c . 1 . x . cod . tit . Harum caularum vero cognitio sicut in constitutione , ita etiam in dissolutione ad Episcopum spectat , ejusque consensus hic summe necessarius est . Cum enim illi incumbat , omnem curam eo intendere , ut tam Ecclesiæ matri , quam filiæ , reditus , sustentatio & honor competens ferventur . arg . c . ad audientiam 3 . Extr . de Eccl . adif . inde etiam fluit , ejus arbitrio omnes caussas Ecclesiasticas , atque ideo has separationis & dissolutionis etiam relinquendas esse . Citandi tamen sunt illi , quorum interest . cap . fin . de Elett . in Sext .

D 3

Inter

Inter justas vero & legitimas ejusmodi caussas nec ultimum locum occupat , quando Ecclesia mater vel filia, hostili furore , saevientibus flammis, terræ motu , vel alio casu fortuito sint consumptæ & collapsæ , & propter Paroecianorum fiscique Ecclesiastici exhausti paupertatem, tenuesque reditus nullum aliud templum extrui possit: tunc enim fundi Ecclesiæ dotales & reditus destructæ ad alteram adhuc salvam transferuntur.

## S. IV.

Materiæ dignitas & amplitudo jure meritoque postulat, plura de uno atque altero hoc spectante proferre: verum cum propter penuriam temporis negotiorumque in noviter mihi injuncto officio obvenientium multitudinem, domi huic dissertationi conscribendæ non multum diligentia & operæ impendere potuerim , in hac celeberrima Academia vero propter rationem modo ad ductam ultra septimanam, & quod excurrit, degere non licitum esset; L. B. mihi in hoc veniam dabit, & si quædam perperam scripta in hac dissertatione inveniet, imbecillitatis humanæ memor Legem 2. §. 14. C. de V. I. E. in memoriam sibi revocet : *Omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare , divinitatis magis , quam mortalitatis est.* Antequam vero me in portum recipiam , D. T. O. M., Patri luminis & veritatis, demissas & semi piternas persolvo gratias pro innumeris in me collatis beneficiis , proque divino suo in hoc labore mihi praestito auxilio. *Servet*, tanquam sumimus Ecclesiæ Patronus , cœctum fidelium suorum in vera fide & unione Spiritus , ut brachio potentissimo clypeoque ejus firmissimo muniti contra insultus hostiles fortiter pugnent, & tanquam

tanquam filii Ecclesiæ militantis , aliquando in triumphantem illam omnium Ecclesiarum Matrem , cœlestia Hierosolyma , coronis triumphalibus cincti recipiantur , ubi sempiternis laudibus coram sanctissimo Sacro-sanctæ Triadis throno Te Deum Patrem , Deum Filium , & Deum Spiritum Sanctum , ineffabili voluptate perfusi ,  
venerabuntur .

---


## COROLLARIA.

Thesaurus in fundo feudali inventus totus cedit vasallo .

Vassallus Dominum feudi alere tenetur .

Liberis ex damnato legibus coitu natis , sive incestuosi , sive adulterini sint , debentur alimenta .

Non æquum est , *in Novell. 134. c. 10.* Adulterii poenam ratione fœminæ mitigatam esse .



# GEORGIA

S ( o ) S

JE Vous souhaite de tout mon cœur,  
Monsieur , mille & mille bonheurs  
Et beaucoup de prosperités  
Pour Vôs nouvelles Dignités,  
Vous pouvez être persuadé,  
Que je ferai toujours charmé,  
Si Justice l'on Vous rendra  
Et Vôtre merite louera,  
Car il faut dire en verité,  
Que Vous l'avez bien mérité,  
Et Vous n'avez rien négligé,  
Pour Vous rendre tout achevé  
Suivez , suivez toujours les traces  
De la science & des graces  
Comme Vous avez commencé,  
Et Vous serez récompensé,  
Toutes les Muses Vous suivront,  
Et Vôtre Esprit loueront.

*Par cette felicitation temoigne son estime  
à Monsieur le Candidat*

**CHARLES FRIDERIC GOTTLIEB  
COMTE & SEIGNEVR DE CASTELL.**

Sic

**S**ic Te, qui fueras quondam mihi fidus  
Achates,  
Post iter exhaustum præmia digna manent.  
Præmia digna manent ; summi tribuuntur  
honores,  
Cultores decorat queis Themis alma suos  
Gratulor idcirco : Numen Tua cœpta secundet,  
Semper & optato fine coronet ea.

*NOBILISSIMO D.N. CANDIDATO  
hacce pauca de prōmeritis Juris hono-  
ribus gratulabundus apposuit*

**VVOLFGANGVS GEORGIVS,**  
**COMES ET DOMINVS DE CASTELL.**

**A**Quoi me sert de bien penser, si très-mal je m'explique  
Pour Vous feliciter, quoi que mes vœux uniques  
Dans Votre caractère Vous veulent mille bonheurs,  
Mechant ou bon poète je parle du fond du Cœur.

Ainsi felicité MONSIEUR LE CANDIDAT,  
comme son Ami intime, de sa nouvelle,  
dignité  
**CHARLES GOTLIBE GOTLIBE**  
**LAURENT**, Capitain du Régiment de  
S. E. MONSEIGNEUR LE COMTE  
DE CASTELL.

5050

**ULB Halle**  
005 353 122

3



*Sf*





Farbkarte #13



B.I.G.

I. 425.

17  
19  
19

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
IVRIDICA,  
*DE*  
**ECCLESIA MATRE,**  
QVAM  
SVB PRAESIDIO  
**ALTISSIMI,**  
EX DECRETO  
*MAGNIFICI*  
**ICTORVM ORDINIS,**  
IN  
INCLVTIS ATHENIS NORICIS,  
SVM MOS IN VTROQVE IVRE  
HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE LEGITIMEQVE PROMERITVRVS  
*SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI*  
SVMITTIT,  
DIE XXX. OCTOBR. A. C. MDCCXIII.  
**JOHANNES CHRISTOPHORVS**  
**BAV MGAERTNER,**  
BRIXENSTADIO - FRANCVS,  
**ILLVSTRISSIMI ac CELSISSIMI COMITIS**  
CASTELLO - RVDENHVSANI CONSILIARIVS.

*ALTOFI NORIC. LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.*

KV HALB